116.

Theophilo Sigefrido Bayer
Viro clarissimo
Joseph Simonius Assemanus Bibliothecae
Vaticanae Custos
S. P. D.

Abugenblat Nessar, nobilis vir e monte Libano, Petropoli in Urbem nuper reversus, narravit mihi, sermone de rebus Romanis Phoeniciisque injecto, se apud ipsum conquestum fuisse, quod nullas tuis literis responsivas dederim. Quam mihi postremam epistolam misisti, statim evolvi, scriptam in urbe VII. Kal. Jul. 1729., in qua de Inscriptione Adulitana, de epistolis Mosis Mardeni, de Grammatica et Atlante Sinico, deque historia Edessena mihi significabas: demum num tertius meae Bibliothecae tomus jam exiisset, quaerebas. Ad haec omnia memini me respondisse, missis per Liburnicum portum literis, quas si nondum accepisti, Vir Doctissime, rescribe, quaeso, meaque opera pro libitu utere: habebis enim me ad cuncta, quae imperaveris, paratissimum, modo vires suppetant. Commentarium istius Academiae, quem a te missum scripseras, nondum adspexi. Quamobrem nec meis, nec tuis literis satis tutam nacti viam videmur, nisi oratori Augusti Russorum Vindobonae commendentur. Ad eum igitur per Gubernatorem Petropolitanum, aliumve auctoritatis publicae virum fac ut scribatur, quo nobis liceat nostras ad ipsum literas libere dirigere. Interim scias velim, Tertium, quartumque Bibliothecae orientalis Tomum a me dudum editum fuisse: ac postea inter Byzantinae historiae scriptores Venetiis impressos, Tomum decimum septimum, qui Chronicon orientale inscribitur

1v

biter, nova interpretatione notisque illustratum; Menologium quoque Basilii Imperatoris, cujus priorem partem Clemens Undecimus Pontifex maximus adhuc juvenis, è Graeco Latinam fecerat, altera adjuncta parte Albani Graece ac Latine evulgasse: Sancti demum Ephraemi Syri operum priorem Tomum Graece item ac Latine proximis hisce diebus in lucem publicam emisisse. Quae Petropoli à te, aliisque sunt evulgata, eorum notitiam avide exspecto. Reverendissimum Dominum Theophanem Russiae Primatem, quem semper colui, meo nomine salutes, precor. Vale vir amicissime. Romae VI. Kal. Novembr. 1732.

2v

A Monsieur

Monsieur Bayer Membre de la Societé Russienne Professeur des Antiquités

A Petersburch